



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 130. Vtrum Angeli constant ex materia, & forma spirituali, vel sint compositi alia compositione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

iam, ut dentur intellectus ordinati ad corpora, quæ sint idoneum instrumentum intellectus; sed solum corpus humanum, ac terrenum, & corruptibile est idoneum instrumentum intellectus, corpora verò aërea, vel æthereæ, vel cælestia, & incorruptibilia non sunt idoneum instrumentum intellectus; ergo &c. Secundo nec est idoneum instrumentum intellectus corpus deseruiens solum ad motum, non autem ad sensum; ergo non debet dari intellectus ordinatus ad corpus solum motuum secundum locum. Adde, quod inductio sensibilis graduum, secundum quos ordinantur corpora animata, confirmat impossibile esse corpus animatum anima intellectiva, & secundum locum motiva sine sensu. Ut enim aduerit Aristoteles secundo de anima t. 31. animata ordinantur sicut figura. *Semper enim in eo, quod est consequenter, est potentia, quod est prius, & in figuris, & in animalis, ut in quadrato quidem triangulus est, in sensitivo autem vegetativum;* sed figura trilatæ, quadrilatæ, quinquelatæ &c. ordinantur ita, ut figura quadrilatæ includat essentialiter trilatæ, quinquelatæ includat essentialiter quadrilatæ, & trilatæ, & vniuersim figuræ superiores includant essentialiter omnes figuras inferiores: repugnat enim aliquid esse quadrilatæ, quin habeat tria latera, & addat quartum; repugnat aliquid esse quinquelatæ, quin habeat tria, & quatuor latera, & addat quintum; ergo etiam gradus animarum vegetatiuarum, sensitiuarum, secundum locum motuarum, & intellectiuarum ordinantur ita, ut anima sensitiua includat essentialiter vegetatiuum; anima secundum locum motiva, includat essentialiter sensitiuum, & vegetatiuum; & anima intellectiua includat essentialiter motiuum, sensitiuum, & vegetatiuum, ita ut repugnet corpus animatum anima sensitiua, quod non sit vegetatiuum; repugnet corpus animatum anima secundum locum motiva, quod non sit sensitiuum, & vegetatiuum; ac repugnet corpus animatum anima intellectiua, quod sit secundum locum motiuum, sensitiuum, & vegetatiuum; ergo repugnant Angeli habentes corpora secundum locum motiva sine sensu.

12. Ad 4. ex loco Genes *videntes Filij Dei* &c. Dicendum, quod sicut aliqui ex Sanctis Patribus secuti sunt errorem Platonis, & censuerunt dari aliquos Angelos corporales, sic decepti sunt in intelligentia Scripturæ, cap. 6. Genes. ac putarunt nomine filiorum Dei, qui acceperunt sibi uxores ex filiis hominum, & genuerunt gigantes, intelligi Angelos, vel dæmones. Sed sicut certa iam est præsertim post Concilium Lateranense sententia communior Sanctorum Patrum, quam sequuti sunt Scholastici, quod nulli Angeli, vel dæmones habeant corpus, sic eodem gradu certitudinis est certum, quod nomine filiorum Dei non intelligantur Angeli, vel dæmones, sed descendentes à Seth, qui quia vique ad il-

lud tempus perseverauerant in pietate, & cultu diuino, vocantur filij Dei, vel iuxta versionem septuaginta Angeli Dei; cum descendentes ex Cain, quia iamdudum à pietate descuerant, vocentur filij hominum. Quod autem gigantes, hoc est homines cæteris maiores statura, & robore, & ad bellum aptissimi oriantur ex connubijs magno amore initis, est consuetum, ut patet & ex Scriptura exemplo Goliath, & ex fabulis poetarum; cuius ratio physica est, quia principium actuum quo coniungitur principio passiuo magis proportionato, & quo maiori inclinatione coniungitur, eo per se producit maiorem effectum.

13. Ad 5. ex eo, quod dæmones in inferno torquentur ab igne corporeo. Respondeo, quod spiritus potest supernaturaliter pati à corpore supernaturaliter agente, vel actione physica per potentiam obedientialem, aut alia ratione, vel actione morali, ut explicant Theologi ex professio suo loco, & nos dicemus quæst. 192.

14. Ad 6. ex septima synodo, dicendum, quod licet Ioannes Thessalonicensis probauerit Angelos posse pingi, quia habent corpus, tamen synodus sequuta est sententiam ipsius quoad conclusionem, ac docuit Angelos posse pingi, non autem quoad rationem, ut plerumque fit in Concilijs. Concilia enim dum definiunt aliquas veritates, non idcirco approbant omnia, quæ dicta sunt à Patribus ad illas probandas.

QVAESTIO CXXX.

Virum Angeli consent ex materia, & forma spirituali, vel sint compositi alia compositione?

S. Thomas quæst. 50. art. 2.

1. **V**idetur vera sententia Alensis 1. parte qu. 5. Sancti Bonaventuræ in 2. dist. 3. Richardi, & quorundam aliorum, quod licet Angeli sint omnino incorporei, tamen secundum suam naturam consent ex duplici parte spirituali, altera, quæ se habeat ut potentia, quæ idcirco vocari potest materia spiritualis, altera, quæ se habeat ut actus, ac forma substantialis. Primo quia Angeli sunt entia, & substantiæ completæ; sed in creatis solum compositum ex materia, & forma est ens completum, omnis autem materia, & omnis forma est incompleta, ideoque ipsa anima rationalis licet sit spiritualis, est ens incompletum; ergo Angeli sunt compositi ex materia, & forma.

2. Secundo sicut materia, sic forma non potest esse ens incompletum; sed Angeli sunt substantiæ completæ; ergo non sunt sola forma, sed sunt compositi ex materia, & forma.

3. Tertio datur compositum substantiale

Ccc 2 ex

ex materia, & forma materiali: datur rursus compositum substantiale ex materia corporea, & forma spiritali, quale compositum est homo; ergo debet etiam dari compositum substantiale constans ex materia, & forma, ita ut utraque sit spiritalis, & incorporea: ergo debent dari aliqui saltem Angeli constantes ex materia, & forma spiritali.

4. Quarto in Angelis datur compositio ex essentia, & existentia, vel saltem ex existentia, & duratione: datur etiam compositio ex natura, & subsistentia, ex substantia, & accidentibus, ex genere, & differentia: ergo datur etiam compositio ex materia, & forma, praesertim cum genus desumatur ex materia, differentia ex forma.

5. Quinto forma limitatur per subiectum, ac proinde forma, quae nullius subiecti est forma, eo ipso est infinita, eo pacto, quo intellectio, quae nullius intelligentis distincti est intellectio, est infinita; sed si Angeli non constarent ex materia, & forma, essent formae non ordinatae ad vllum subiectum; ergo essent infiniti, & illimitati.

6. Sexto Angeli debent esse minus immateriales, quam Deus, qui est in supremo gradu immaterialitatis, ac non debent esse actus purus; sed si Angeli non constarent ex materia, & forma, essent summè immateriales, ac non minus, quam Deus, & essent actus puri; ergo. Probatur minor: quod enim nullam habet materiā, est summè immateriale, & est actus purus; sed Angeli nullam haberēt materiam; ergo.

7. Septimo forma est principium actuum mouendi, & agendi: materia est principium passivum, ut res mutetur, moveatur, & patiatur; sed in Angelis datur utrumque principium; ergo in Angelis datur materia, & forma.

8. Octavo in eo, quod mouet se ipsum, datur duplex pars, altera, quae mouetur, altera, quae mouet, nec potest idem secundum idem esse mouens, & motum; sed Angeli mouent se ipsos tum localiter, tum per actus vitales intelligendi, & volendi; ergo. Maior probatur inductione, & ratione. Eatenus enim aliquid potest mouere, & agere, quatenus supponitur esse in actu, hoc est supponitur habere illam perfectionem, quam agendo, & mouendo debet dare: eatenus potest moueri, quatenus supponitur esse in potentia, hoc est supponitur non habere illam perfectionem, quam per motum debet accipere; sed repugnat, ut aliquid secundum idem sit simul actu, & potentia respectu eiusdem, ita ut eandem perfectionem supponatur habere simul, & non habere: ergo &c.

9. Respondeo, quod scientiae supremae, quae agunt de subiecto, de quo non est per se notum, an sit, debent primo de ipso ostendere, quod est: secundo debent explicare, quid sit: tertio ex eius quidditate per definitionem explicata, debent inferre, quale sit, quas ha-

beat proprietates, & quae praedicata; sed de Angelis non est per se notum, an sint; ergo primo debet de ipsis ostendi, quod sint, & quid sint, deinde debet explicari, quales sint, & quas habeant proprietates, & quae praedicata. Iuxta hanc methodum ab Aristotele traditam in libris posteriorum, primo probauimus dari Angelos: secundo explicauimus, quid sint, ac diximus illos esse intellectus creatos perfectos: tertio ex hac definitione intulimus aliquas ipsorum proprietates, ostendentes, quod ex eo, quod sint intellectus perfecti, sequitur primo, quod non debent habere sensus, neque phantasiam: secundo quod non debent habere corpus sensitivum: tertio quod neque debent habere corpus motuum secundum locum, ac proinde non debent habere vllum corpus, nec debent ordinari ad vllum corpus informandum. Superest, ut quaestionibus sequentibus examinemus, quales sint Angeli quoad alias proprietates, & praedicata, tum quae spectant ad eorum substantiam, tum quae spectant ad potentias, & operationes, intellectum nimirum, & voluntatem, ac potentiam se localiter mouendi, & agendi in corpora. Ut autem incipiamus à praedicatis, quae spectant ad substantiam Angelorum, debemus primo examinare, an sint compositi ex materia, & forma, vel aliqua alia compositione: secundo an possint non differre specie, sed solo numero: tertio an debeant naturaliter multiplicari solum, vsque ad certum numerum. Haec tria puncta discutiemus tribus quaestionibus sequentibus.

10. Respondendo igitur primae quaestioni, dicendum: Angeli non constant ex materia, & forma.

11. Probatur primo: nam substantia, cuius propria operatio neque postulat materiam, neque est connexa cum operatione postulante materiam, non habet vllam materiam: ex propria enim operatione cognoscitur substantia; sed Angeli sunt huiusmodi; ergo. Probatur minor: Angeli enim sunt intellectus perfecti; sed propria operatio intellectus perfecti est intellectio non connexa cum sensatione, neque cum imaginatione, quae proinde neque postulat materiam, neque est connexa cum operatione postulante materiam: ergo. Probatur minor: & primo quod intellectio ex se non postulet vllam materiam. Illa enim operatio, quae non postulat materiam ut obiectum, neque postulat materiam ut subiectum; sed intellectio non postulat materiam ut obiectum, ut patet, tum quia intelligimus omnino immaterialia; tum quia perfectius intelligimus ipsas res materiales, cum illas abstrahimus à materia, & à conditionibus materialibus, hoc est ab extensione, loco, & tempore; ergo intellectio neque requirit vllam materiam ut subiectum. Neque dicitur, quod licet intellectio non requirat ut subiectum materiam corpoream, tamen exigit ut subiectum materiam spiritualem. Nam contra est, quia quod non

re;

requirit ut obiectum ullam materiam neque corpoream, neque incorpoream, sed abstrahit ab omni materia, proportionaliter non exigit ut subiectum ullam materiam, neque corpoream, neque incorpoream; sed intellectio non requirit ut obiectum ullam materiam, neque corpoream, neque incorpoream, siquidem cognoscit formas, & quidditates rerum ut abstractas ab omni materia; ergo.

12. Probatur iam secunda pars minoris, quod nimirum intellectio angelica non sit connexa cum vlla operatione exigente materiam. Eatenus enim intellectio humana est connexa cum operatione exigente materiam, quatenus est connexa cum sensu, & phantasia; sed intellectio angelica non est connexa cum sensu, neque cum phantasia; ergo.

13. Confirmatur primo: nam tota ratio, cur anima rationalis sit forma ordinata ad materiam, est quia habet intellectionem connexam cum sensu, & imaginatione: in statu vero separationis, quia habet intellectionem non connexam cum sensu, & imaginatione, nullam habet materiam; sed Angeli utpote intellectus perfecti habent intellectionem non connexam cum sensu, neque cum imaginatione: ergo non ordinantur ad ullam materiam, sed sunt formæ sine vlla materia.

14. Confirmatur secundo: nam sicut Angeli sunt magis intellectui, quam anima rationalis, sic sunt magis immateriales, cum intellectiuitas proportionetur immaterialitati substantiali, ut dictum est quæst. 41. de Deo; sed anima separata nullam habet materiam, neque corpoream, neque incorpoream: ergo etiam Angeli. Probatur minor: nam si anima separata haberet aliquam materiam incorpoream, vel illam haberet etiam, cum manet in corpore, vel illam acquireret, cum separatur à corpore; utrumque est absurdum: si enim materiam incorpoream habebat etiam, cum erat in corpore, sequitur primo, quod anima dum est in corpore, sit in duplici materia, altera spirituali, altera corporea: sequitur secundo, quod materia incorporea cum ordinetur ad informandam materiam corpoream, sit forma, ac proinde, quod anima rationalis constet ex duplici forma. Si vero dicatur, quod anima rationalis acquirat hanc materiam incorpoream, cum separatur à corpore, hæc materia deberet de nouo creari, & anima rationalis transiret ab vna materia in aliam, à materia corporea in materiam incorpoream, quod est absurdum.

15. Probatur secundo conclusio: nam Angeli non habent materiam corpoream; sed materia incorporea repugnat; ergo nullam habent materiam. Probatur minor: nam repugnat materia, quæ habeat esse magis formale, & magis actuale, quam quælibet forma corporis, & quam ipsa anima rationalis. Cum enim forma sit idem, ac actus, substantia quo habet esse magis formale, & magis actuale,

eo magis est forma, ac proinde non est materia; sed materia incorporea esset substantia habens esse magis formale, & magis actuale, quam quælibet forma corporis, & quam ipsa anima rationalis: ergo non esset materia, sed forma. Probatur minor: omnis substantia eo est magis formalis, & actualis, quo minus est materialis materialitate corporea, ut patet inductione. Ex corporibus enim illa sunt magis formalia, & magis actiua, quæ sunt subtiliora, & rariora, ac proinde minus habent materiam, & molis, ideoque ignis, qui est rarissimus, & subtilissimus, ac proinde minus habet materiam, quam alia elementa, est formalissimus, & maxime actiuus: terra è conuerso, quia est crassissima, & densissima, est materialissima, & valde passiuæ, ac parum actiuæ: corpora autem illa, quæ vocamus quintas essentias, seu spiritus, sicut sunt actiuissima, sic sunt tenuissima, & rarissima, ac parum habent materiam, & molis: anima verò rationalis, quæ licet ordinetur ad materiam, non pendet à materia, est forma omnium perfectissima, & actiuissima, & habet quandam actiuitatem infinitam secundum quid, per quam potest omnia intelligere, & per artem potest facere innumera artificia; sed hæc materia incorporea nihil haberet corporeæ molis, & materialitatis, adeoque esset formalissima, & cum neque ordinaretur ad informandam materiam corpoream, esset etiam immaterialior anima rationali, quæ ordinatur ad informandam materiam corpoream; ergo esset formalior, & magis actiua, quam anima rationalis; ergo non esset materia, sed forma, multo magis, quam anima rationalis: ergo esset intellectiua multo magis, quam anima rationalis: nam quod est formalius, & actualius, eo ipso est magis intellectiuum, cum intellectiuitas proportionetur immaterialitati; ergo Angeli constarent ex duplici forma, vtraque intellectiua, quod est absurdum.

16. Probatur tertio conclusio, & simul affertur ratio, propter quam in Angelis debeat dari compositio ex substantia, & accidentibus, ex essentia, & existentia, vel duratione, ex natura, & subsistentia, ex genere, & differentia, & tamen non debeat dari compositio ex materia, & forma. Certum est in Angelis debere dari omnes compositiones, quæ sequuntur necessario ex ratione substantiæ creatæ, & finitæ, ac debere negari compositiones, quæ sequuntur ex ratione substantiæ corporeæ: sed ex ratione substantiæ creatæ, & finitæ sequitur, ut debeant componi ex substantia, & accidentibus, ex essentia, & duratione, ex natura, & subsistentia, ex genere, & differentia, non autem sequitur, quod debeant componi ex materia, & forma, sed talis compositio sequitur solum ex ratione substantiæ corporeæ; ergo. Probatur minor, & primo, quod ex ratione substantiæ creatæ, & finitæ sequatur, quod debeat componi ex substantia, & accidentibus, & ex essentia, & duratione. Omnis sub-

substantia eo ipso, quod est finita in aliquo genere, & non habet totum esse, & totam perfectionem illius generis, potest moueri ad acquirendam nouam perfectionem in eo genere, adeoque componitur ex substantia, & accidentibus; sed Angeli sunt finiti, & imperfecti in genere entis, & in pluribus alijs generibus; ergo possunt moueri ad acquirendas plures perfectiones accidentales, adeoque componuntur ex substantia, & accidentibus. Probatur, & explicatur maior: eo enim ipso, quod aliqua substantia est finita in genere loci, & non est in omni loco, potest localiter moueri, & acquirere perfectionem accidentalem noui loci: eo ipso, quod aliquid est imperfectum in genere durationis, & non durat per se ipsum omni tempore, potest acquirere perfectionem accidentalem nouae durationis: eo ipso, quod aliquis est imperfectus in genere scientiae, & non scit omnia scibilia, potest per disciplinam acquirere perfectionem accidentalem nouae scientiae: ergo vniuersim substantia imperfecta, & finita in genere entis potest acquirere aliquam nouam perfectionem accidentalem, ac proinde componitur ex substantia, & accidentibus; sed Angeli sunt imperfecti, & limitati in genere entis, in genere loci, in genere scientiae, & in pluribus alijs generibus; ergo Angeli possunt acquirere plures perfectiones accidentales, ideoque componuntur ex substantia, & accidentibus intellectus, durationis &c; ergo etiam componuntur ex essentia, & duratione, alioquin essent infiniti in genere durationis, & essent sua aeternitas.

17. Potest etiam ex ratione creati, & finiti specialiter ostendi, quod in Angelis non idem sit substantia, & intellectio, adeoque quod componuntur ex substantia, & accidente intellectus. Nulla enim substantia creata potest esse sua intellectio: sed Angeli sunt substantiae creatae; ergo. Probatur maior: de ratione enim intellectus, & omnis actus vitalis est, ut sit a substantia viuente per talem actum, & ut non solum recipiatur ab aliquo pure extrinseco: sed si substantia creata esset sua intellectio, sicut ipsa non est a se, sed ab aliquo pure extrinseco, sic intellectio, & actus vitalis non esset a substantia intelligente, & viuente, sed ab aliquo pure extrinseco; ergo. Ex opposita ratione substantia increata potest, ac debet esse sua intellectio, & suus actus vitalis, quia cum sit adequata a se ipsa, intellectio identificata cum substantia increata est ab ipsa substantia increata, ut magis explicatum est quaest. 42. de Deo.

18. Probatur iam, quod ex ratione substantiae creatae, ac Deo subiectae sequatur, quod debeat componi ex natura, & substantia. Sicut licet accidens exigat esse in subiecto, tamen debet Deus posse facere, ut sit per se, & extra subiectum, ut patet in Eucharistia; sic licet natura substantialis creata postulet esse per se, & non in alio, nihilominus Deus debet posse facere, ut natura substantialis creata non

sit per se, sed in alio, ut patet ex mysterio Incarnationis: natura enim humana Christi non est per se, sed est in Persona Verbi: sed ad hoc, ut natura substantialis creata possit diuina virtute non esse per se, requiritur, ut non sit ipsum esse per se: ergo in quolibet supposito creato distingui debet natura per se existens, & ipsum per se esse, quod vocamus substantiam, adeoque debet dari aliquis compositio ex natura, & substantia, quidquid sit, vtrum substantia supra naturam addat aliquid posituum, vel addat meram negationem: ergo ex ratione substantiae creatae, ac Deo perfecte subiectae sequitur, quod debeat componi ex natura, & substantia.

19. Iam sicut ex ratione substantiae creatae, & finitae sequuntur in Angelis plures compositiones physicae iam explicatae, sic sequitur compositio metaphysica ex genere, & differentia cum fundamento in compositione physica existente in ipsis Angelis. Ex opposita ratione sicut in Deo nulla datur compositio physica, ut dictum est quaest. 22. de Deo, sic nulla datur compositio metaphysica ex genere, & differentia cum fundamento in ipso Deo.

20. Probatur iam, quod compositio ex materia, & forma non sequatur ex eo, quod substantia sit finita, adeoque Angeli licet sint finiti, non debeant componi ex materia, & forma. Compositio ex materia, & forma oritur ex eo, quod forma indigeat materia: sed forma etiam finita potest non indigere materia; ergo. Probatur minor: nam quod forma indigeat materia, oritur, vel ex eo, quod forma ordinetur solum ad operationem organicam, adeoque receptam in organo materiali; vel quia licet forma ordinetur ad operationem intelligendi, quae est in organica, tamen ordinatur ad intellectum connexam cum operationibus organicis sentiendi, & intelligendi: sed Angeli licet sint finiti, tamen cum sint intellectus perfecti, ordinantur ad operationem intelligendi non connexam cum vlla operatione sensitiua organica, ut dictum est quaest. 128; ergo Angeli non indigent vlla materia, adeoque non constant ex materia, & forma.

21. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem, in qua assumitur, quod in creatis solum compositum ex materia, & forma possit esse substantia completa. Sicut enim Deus est substantia completissima, & tamen non est compositus vlla compositione, sic potest dari aliqua substantia creata completa, quae non componatur ex materia, & forma. Anima rationalis est substantia incompleta, in quantum est intellectus imperfectus, adeoque indigens sensu, & materia, per quam compleatur in ordine ad exercendas operationes sensitiuas: sed possunt, ac debent etiam dari intellectus perfecti, adeoque non indigentes sensu, nec vlla materia in ordine ad exercendas vllas suas operationes: ergo eo ipso tales intellectus sunt substantiae completae potentes sine consortio vllius

lius materia exercere omnes operationes convenientes suæ naturæ.

22. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Materia ex sua essentia est potentia substantialiter perfectibilis: sed potentia ex sua ratione est aliquid imperfectum, incompletum, & ordinatum ad actum completum: ergo materia ex sua ratione est substantialiter incompleta, ac proinde repugnat materiam, quæ sit substantia completa. Forma è converso est actus, & perfectio: actus autem, & perfectio non habet ex sua ratione, ut sit completius, & perfectius alterius: ergo potest dari forma non ordinata ad vllam materiam, quæ proinde sit substantia completa.

23. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Licet detur compositum substantiale ex materia, & forma corporea, & compositum ex materia corporea, & forma spiritali, tamen non debet dari, nec debet esse possibile compositum substantiale ex materia, & forma spiritali: tum quia forma immaterialis, & intellectiva, quæ non ordinatur ad materiam corpoream, non ordinatur ad vllam materiam: tum quia materia incorporea repugnat, cum eo ipso non esset materia, sed forma magis etiam intellectiva, quam anima rationalis, ut ostensum est num. 15.

24. Ad 4. concedo antecedens, & nego consequentiam. In Angelis dantur compositiones ex substantia, & accidentibus, ex essentia, & duratione, ex natura, & subsistentia, ex genere, & differentia, quia tales compositiones oriuntur ex ratione substantiæ creatæ, & finitæ: sed compositio ex materia, & forma, non sequitur ex ratione substantiæ creatæ, & finitæ, ut ostensum est num. 20; ergo in Angelis non debet dari compositio ex materia, & forma.

25. Ad 5. distinguo maiorem: forma non ordinata ad vltiorem formam limitatur per subiectum, concedo: forma ordinata ad vltiorem formam limitatur per subiectum, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Duplex est forma, & duplex actus, primus, & secundus. Forma, & actus secundus non ordinatus ad recipiendum vltiorem actum, limitatur per ordinem ad subiectum, ideoque si non ordinatur ad vllum subiectum, est infinita: ex. gr. intellectio, quæ est forma, & actus non ordinatus ad recipiendum vltiorem actum, limitatur per ordinem ad subiectum, ideoque omnis intellectio, quæ non sit alterius intelligentis intellectio, est infinita, & est intellectio comprehensiva omnium intelligibilium. Idem dic de volitione, duratione, vocatione &c. Volitio enim, quæ non est alterius volentis volitio, est infinita, & est amor omnis amabilis: duratio, quæ non est alterius durantis duratio, est infinita, & est æternitas: vbiatio, quæ non est alterius vbiatio, est infinita, & est immensitas. Ratio est, quia forma, & actus non ordinatus ad vltiorem actum recipiendum, eo ipso, quod

non ordinatur ad vllum subiectum, est actus purus: sed actus purus est infinitus; ergo. Probatur maior: nam actus vel non est purus per hoc, quod sit perfectibilis per actum vltiorem, adeoque habeat admistam potentialitatem; vel non est purus per hoc, quod ordinatur ad perficiendum aliquod subiectum, & aliquam potentiam, adeoque sit actus potentiæ perfectibilis; ergo actus non ordinatus ad vltiorem actum, eo ipso, quod neque ordinatur ad subiectum, est actus purus. At forma, & actus ordinatus ad vltiorem actum, propter hoc ipsum habet admistam potentialitatem, & perfectibilitatem, adeoque est perfectibilis, & limitatus; ergo licet non ordinetur ad subiectum, nihilominus non est actus purus; ergo licet intellectio non ordinata ad subiectum sit actus purus, & infinitus, forma intellectiva non ordinata ad subiectum non est actus purus, sed habet admistam potentiam, quæ est perfectibilis per intellectionem actualem. Videri possunt quæ de actu puro dicta sunt quæst. 22. de Deo.

26. Ad 6. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: quod nullam habet materiam etiam metaphysicam, & analogicam, est actus purus, concedo: quod nullam habet materiam physicam, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ex dictis quæst. 22. de Deo num. 22. materia metaphysicè, & analogicè sumpta dicitur quæcumque potentia passiva, recipiendi aliquod esse, & aliquam perfectionem: sed solus Deus ita est actus purus, ut quia continet omne esse, non possit recipere vllum esse, & vllam perfectionem; ergo solus Deus est actus purus carens omni materia etiam metaphysica, & analogica. Angeli cum sint in potentia ad recipiendas multas perfectiones intrinsecas intellectionis, volitionis, durationis, non sunt actus puri, nec sunt summè immateriales.

27. Ad 7. distinguo maiorem: materia, analogicè sumpta est principium, ut res moveatur, ac patitur, concedo: physicè considerata, nego: concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Ad materiam physicam non sufficit, ut sit quomodocunque principium patiendi, sed sufficit ad materiam metaphysicam, & analogicam, quæ nihil aliud est, quam potentia passiva ad recipiendum aliquod esse: & quia Angeli ita sunt formæ, ut habeant secum identificatam potentiam passivam, & perfectibilem, Angeli sunt formæ habentes secum identificatam aliquam materiam analogicam, seu potentialitatem modo explicato, ac solus Deus est actus purus, ac nihil habens admistum materiam, ut dictum est quæst. 22. de Deo, num. 21.

28. Ad 8. distinguo maiorem: in eo, quod movet se ipsum, datur duplex pars substantialis, & intrinseca, altera quæ movet, altera, quæ movetur, nego: datur duplex pars saltem accidentalis, vel extrinseca, nec potest idem se-

cun-

cundum idem esse adequatum mouens, & motum, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Nullum ens potest adequatè mouere se ipsum ad vllum esse, & ad vllam perfectionem, ideoque omne, quod mouetur, ab alio mouetur, vt dictum est quaest. 19. de Deo, num. 4. Et ratio est, quia mouens adequatum supponitur præhabere perfectionem, ad quam mouet: motum præsupponitur non præhabere perfectionem, ad quam mouetur: sed non potest idem secundum idem præsupponi habere, & non habere eandem perfectionem: ergo non potest idem secundum idem esse motum, & mouens adequatum. Ideo cum aliquid mouetur, debet distingui mouens, & motum: sed non requiritur, vt mouens sit pars substantialis illius, vel illi intrinseca: potest enim esse vel accidens moti, vel mouens extrinsecum moto. In casu nostro, cum Angeli mouent se ipsos ad intelligendum, concurrunt species, quæ est accidens Angelum, & concurrunt etiam obiectum extrinsecum: cum mouent se ipsos ad volendum, concurrunt cognitio boni, quæ ad volendum mouet: cum se mouent localiter, concurrunt cognitio, & volitio, qua volunt se mouere: ac præterea, semper concurrunt Deus, vt primum mouens immobile: ergo nunquam Angeli mouent adequatè se ipsos, & semper potest assignari duplex pars, vel quasi pars, altera, quæ mouetur, altera quæ mouet.

QVÆSTIO CXXXI.

Vtrum Angeli possint differre solo numero, ita vt non differant specie?

S. Th. q. 50. a. 4.

1. **P**rimo videntur Angeli non posse differre specie, sed solum posse differre numero. Animæ enim rationales, hoc est intellectus imperfecti, & ordinati ad animanda corpora, non possunt differre specie, sed solum, possunt differre numero: ergo Angeli, hoc est intellectus perfecti, & non ordinati ad animanda corpora, non possunt differre specie, sed solum possunt differre numero.

2. Secundo intellectus, qui conueniunt in gradu immaterialitatis, conueniunt etiam in gradu intellectualitatis, ac proinde sunt æquæ intellectui, ac non differunt specie: sed omnes Angeli conueniunt in gradu immaterialitatis, cum sint æquæ separati à materia, & à corpore; ergo &c.

3. Tertio differentia secundum magis, & minus, non est specifica, ideoque visiones Dei, licet vna sit perfectior alia, non differunt specie, quia solum differunt per hoc, quod vna magis, altera minus penetret idem obiectum; sed Angeli differunt solum per hoc, quod vnus est magis, alter minus intellectiuus: ergo.

4. Quarto quæ differunt specie, debent differre in prædicato præcipuo, & nobilissimo: sed Angeli non differunt in intellectualitate, quæ est prædicatum ipsorum præcipuum, & nobilissimum, sed solum differunt in taleitate intellectualitatis, quæ est prædicatum secundarium: ergo.

5. Quinto videtur, quod saltem sint possibiles plures Angeli eiusdem speciei, & omnino similes in essentia. Possunt enim dari plures homines, & plures animæ rationales omnino similes in essentia, adeoque eiusdem speciei: ergo possunt etiam dari plures Angeli omnino similes in essentia, & eiusdem speciei.

6. Sexto spectat ad diuinam omnipotentiam, vt producta vna anima rationali, possit producere aliam omnino similem; ergo spectat ad diuinam omnipotentiam, vt producta vno Angelo, possit producere alium omnino similem. Confirmatur: nam artifex postquam fecit aliquod opus, puta horologium, debet posse facere aliud omnino simile: ergo etiam Deus.

7. Septimo sicut animæ rationales ordinantur ad materiam informandam, sic Angeli ordinantur ad materiam regendam: ergo sicut animæ rationales differunt solo numero per hoc, quod ordinantur ad diuersam materiam informandam, sic Angeli possunt differre solo numero per hoc, quod ordinantur ad diuersam materiam regendam.

8. Octauo sicut species rerum debent esse indefectibiles physice, sic debent esse indefectibiles moraliter: sed si species Angelorum essent immultiplicabiles, essent defectibiles moraliter, ac de facto peccando, tot defecissent moraliter species Angelorum, quot Angeli peccarunt; ergo.

9. Nono Angeli sunt sociales, ac debent amicabiliter viuere; sed perfecta amicitia dari non potest, nisi inter indiuidua eiusdem speciei: ergo &c.

10. Respondeo, quod pro resolutione questionis duo sunt supponenda ex philosophia circa differentiam specificam, & purè indiuidualem. Primo supponendum est ex dictis quaest. 32. Log. conc. 5. non posse aliqua distinguere inter se, absque eo quod habeant aliquam dissimilitudinem entitativam, ac proinde quæ distinguuntur, non posse esse omnino similia. Probatur: vt enim duo distinguantur, debent esse mutuo verè negabilia, dicendo *vnus non est aliud*: sed quæ sunt omnino similia, non possunt verè mutuo negari, dicendo *vnus non est aliud*; ergo. Probatur minor. Ponamus duos homines omnino similes: eo ipso conceptus comprehensiuus ipsorum erunt omnino similes, ac se habebunt, sicut duo conceptus repetitiui dicentes A. A. si enim dicant A. B. eo ipso non sunt omnino similes; ergo si vnus negaretur de altero, dici deberet *A non est A*; sed hæc propositio *A non est A*, est euidenter falsa, contradictoria autem *A est A*, vt potest idem.